

creditorum Auctorum opinione improbandum usum torturæ, tamquam medium inordinatum ad detegendam veritatem, hoc certum est, Judices in hujusmodi applicatione summa moderatione & circumspicione procedere debere.

XL. Imprimis fatentur omnes, indicendam non esse, nisi quando agitur de crimine admodum gravi ob quod poena gravis corporis afflictiva sit imponenda: ne aliis major aut gravior poena infligatur nondum convicto aut condemnato, quam imponeret convicto & condemnato. Julius Clarus *quest. 64. num. 3.* Damhouderus *cap. 35. num. 4.*

XLII. Secundo indubitatum est, requiri indicia gravia de commisso delicto contra Accusatam, priusquam torturæ subjiciatur: neque sufficere quæcumque indicia, sed proportionata tali medio, & tantis cruciatibus Reo inferendis. In hoc autem, quæ dicuntur indicia ad torturam sufficientia, scire debes (ait Clarus *nu. 13.*) quod in materia indiciorum & torturæ propter varietatem negotiorum & personarum, non potest dari certa doctrina, sed remittitur arbitrio judicis, ita dicunt communiter Doctores. Monetque ibidem, quod Judices Deum timentes debeant semper præ oculis habere, ne aliquem injustè tormentis subjiciant.

XLII. Rectè notat Tuldenuus in Codice *tit. De Questionibus n. 2.* post Auctores ibidem citatos, quod indicia debeant esse liquida & urgentia, & cum re, de qua agitur, conjuncta, non longè petita, & ambigua, ad eò ut sola confessio deesse videatur, quod & Edicto Criminali Philippi II. *art. 42.* cautum est: quamvis & aliquid semiplenæ probationi deservire videatur. Verumtamen non simpliciter illud, sed secundum juris terminos exaudiendum existimem, ait Zypæus in *Notitia juris Belg. tit. De Quest. num. 3.*

XLIII. Observat quoque ibidem Tuldenuus *n. 5.* pleròque putare, quod unicus testis extra suspensionem, cuiusque adfectioni de ipso delicto alia pro Reo indicia non adferantur, sufficiat ad torturam, sed (ait) hoc non est admittendum, nisi aliud quoque criminis indicium concurrat. Quam enim præposterè, cum Reus unius testimonio non revincatur, ubi pecuniola periculum vertitur; convinci tantilla probatione Reum, ubi de discrimine salutis certitur: Unde & referente Zypæo loco citato. *n. 2.* In Gallia, Ludovicus ad unius testis, vel maximè fidei quamvis, noluit quemquam torturæ subjici: quod & hic (ait) habent multarum urbium privilegia.

XLIV. De jure plures sunt persone, quæ à tortura exemptuntur, quas cecitat Julius Clarus citat *q. 64.* monetque, nonnullas hodie privilegia illud amisisse. Illud autem privilegium religiosè observatur & merito circa mulieres prægnantes; adeò ut non torqueri, sed nec terri queant, idque etiam observandum, quamvis esset prægnans ex adulterio, etiam si in ipso carcere ad evitandam torturam dolosè concepisset: & licet tantum esset prægnans de pauco tempore, uti communiter docent Doctores. Nam cum mulier prægnans extimetur à tortura, non ut ipsi, sed ut fœtui consulatur, cessat consideratio indignitatis; uti notat Tuldenuus *num. 3.*

XLV. Si Judex dubitet, num mulier prægnans sit tenetur consulere Medicos & obstetrices; quibus auditis si dubium maneat, num sit prægnans, indubie ob periculum, quod fœtui posset trahere, abstinentium est à tortura.

XLVI. Ad hæc inter omnes convenit, ipsam torturam præsertim Judice & pro modo & tempore ab eo præscripto fieri debere; neque ad eò extendi, ut corpori patientis ullam gravem læsionem aut mutilatione infligat. Quæstionis enim modum Judices arbitrari debent, & tormenta adhibenda sunt, non quanta Accusator postulat, sed ut moderatè rationis temperamenta desiderant; quod & plurimæ civitatum consuetudinibus, ac nominatim Antverpiensibus, expressum est, quibus cavetur, ne Schultenus captivum ad torturam ducat, nisi ex prævio Judicis decreto, *eoque præsertim*, neque eum graviori torturæ subjiciat, quam Judicis adhibenda videatur. Vide Simonem Van Leeuwen in *Censura Forensi parte 2. lib. 2. cap. 8. num. 17.* & ab eo citatos.

XLVII. Plura de hac praxi & cæli moderno torturæ videri

possunt apud Pragmaticos, quos citatus Van Leeuwen refert; hocque sat innuit, hodie plerumque adhiberi torturam in Reum plene aut ferè plene convictum, ut propria confessio de crimine commisso à Reo extorqueatur: eò quod hic apud multos receptum sit, poenas capitales ferri non posse nisi in confessos, tametsi plenæ probationes adsint; idque ne appellationi aut provocacioni locus sit; de quo latius infra *tit. 10.* ubi unà discutietur, num hujusmodi confessio idonea sit ad denegandum remedium appellationis.

XLVIII. Quia tortura, prout hodie in Curis Sæcularibus adhibetur, ad iudicium sanguinis non parum accedit, non solet in Curis Ecclesiasticis in his partibus nec contra laicos adhiberi; ne Ecclesiastici Judices videantur iudicium sanguinis exercere.

CAPUT IV.

De Purgatione vulgari & Canonica.

1. Olim potius ad purgationes vulgares, quam ad torturam in rebus dubiis recurrerebant.
2. Purgationis vulgaris triplex species.
3. Purgationis per aquam frigidam frequens mentio apud auctores 9. sæculi & sequentium.
4. Cur Purgatio hæc diceretur iudicium? *(cur?)*
5. Qui in hoc iudicio innocentes, & qui nocentes iudicarentur?
6. Immergendi in aquam in Ecclesia adhibebantur; ubique plures orationes super eis fundebantur.
7. Missa specialis celebrabatur.
8. Orationes specialiter fiebant, ut Deus veritatem in hac purgatione manifestare dignaretur.
9. Ante communionem immergendi adjurabantur, ut veritatem commissi criminis manifestarent.
10. Si non consistebantur crimen, dabatur eis Sacra Communio ad probationem.
11. Missa expleta fiebat aqua benedicta, è qua immergendi bibebant ad probationem.
12. Fiebat adjuratio aquæ, ut per eam Deus signum operaretur ad manifestationem veritatis.
13. Quo ritu post hæc conjurationem homines in aquam projicerentur?
14. Inducuntur auctores referentes Ritus, exorcismos, & orationes in hac purgatione solitos adhiberi.
15. Ritus hujus purgationis tamquam ab Eugenio II. Papa probatus, & in Franciam missum exhibet Mabillonius.
16. Argumenta qua suadent, hunc ritum non posse adscribi Eugenio.
17. Adferuntur nonnulla, qua insinuant, eum Eugenio adscribendum.
18. Certum est, purgationes vulgares aliquot sæculis multum frequentes fuisse.
19. Describitur iudicium sive purgatio aqua ferventis.
20. Cur manus postquam in aquam ferventem missa fuerat, involveretur sub sigillo judicis?
21. Quid iudicium ferri candentis?
22. Ritus hujus iudicii descriptus in Legibus Anglicanis.
23. In Hispania frequens ob contemptum juramenti.
24. Creditum fuit, quod Deus ad precos & exorcismos per aliquod signum ostenderet veritatem.
25. Non adhibebantur, si veritas aliter innoscere poterat.
26. Nonnulli hæc purgationes non probabant.
27. Prævaluit tamen earum usus, præsertim in Gallia.
28. Sæculo XII. etiam in Belgio probationum vulgarium usus fuit.
29. Decretum contra probationes vulgares sub nomine S. Gregorii retulit Gratianus.
30. Sed erravit Gratianus, hujusmodi Decretum S. Gregorio adscribendo.
31. Extat apud Gratianum Decretum Stephani V. purgationes hæc reprobandi.

32 Sed

32. Sed nec hoc inter scripta hujus Pontificis reperitur.
33. His auctoritatibus Pontificis usi sunt sæculo XII. contra hæc purgationes, & signanter Alexander III.
34. Innocentius III. eas reprobavit.
35. Honorius III. eas reprobatis supponit, quia per illas Deus tentari videtur.
36. Sæculo XIII. planè reprobata supponebantur.
37. Usus probationis per aquam frigidam in aliquibus partibus adhuc hoc sæculo aliquatenus perseveravit.
38. Probatio fiebat sine pristinis ritibus exorcismis, & quare?
39. Hic usus reprobatus remissus.
40. Ex usu probationum vulgarium ostenditur fallacia argumenti à praxi communi.
41. Jam pridem receptum, ut Clericis de crimine infamatis purgatio Canonica indiceretur, & quare?
42. Plerumque fiebat per juramentum ad corpora aut Reliquias Sæctorum. *(Quare?)*
43. Juramentum hoc exigi cepit adhibitis compurgatoribus
44. Refertur à Gratiano & in Decretalibus Gregorii Decretum sub nomine Synodi Agathensis hujus purgationis mentionem faciens.
45. Sed non videtur illi Synodo posse adscribi. *(culo 6.)*
46. Constat tamen, ritum hunc purgationis notum fuisse sæculo XII.
47. Quare purgatio, qua fiebat adhibitis compurgatoribus, diceretur fieri manu sexta, septima, &c.
48. Quot essent adhibendi Compurgatores, pendeat ab arbitrio judicis.
49. Refertur tenor hujus purgationis Canonica.
50. Compurgatores adhibendi, quibus vita & conversatio infamati est nota.
51. Debent & ipsi esse honestæ vitæ. *(nota fuit.)*
52. Olim etiam in Curis secularibus Belgicis hæc purgatio
53. Quando officialis contra laicum ea uti queat ex Conco-
54. datis Hannoveria.
55. Hodie usus adhuc superest in Curis Ecclesiasticis.
56. Sed usus etiam hic rarior.
57. Non adhibenda nisi tamquam medium extraordinarium & subsidiarium aliis probationibus deficientibus.
58. Ob periculum perjurii raro adhibenda.

I. **P**uribus sæculis incognitam fuisse apud Occiduos Europæos probationem per torturam notat Augustinus Nicolas Consiliarius Parlamenti Franco-Comitatûs Burgundiæ in sua dissertatione, *An tortura sit medium securum ad probationem criminum occultorum?* pag. 209. dicitque, quod populus ille circa sæculum VII. & sequentia ad probandum crimina occulta recurreret potius ad purgationes, quas hodie vulgares dicimus, tamquam vulgi potius, quam Canonum auctoritate inductas; & de quibus agitur sub titulo Decretalium *De Purgatione vulgari;* & pluribus locis apud Gratianum.

II. Purgationis hujus vulgaris, quæ olim ad criminis probationem adhibebatur, variaz fuere species, atque inter eas notissima & magis usitata aquæ frigidæ, aquæ calidæ, & ferri candentis.

III. De purgatione per aquam frigidam frequens est mentio apud Auctores sæculi IX. & sequentium: eamque appellabant vel *iudicium aqua frigida;* vel etiam frequenter simpliciter *iudicium aquæ;* uti ostendit Du Cange in suo Glossario mediæ & infimæ latinitatis verbo, *aqua vel aqua frigida iudicium.*

IV. Dicebatur *iudicium*, quia immersio in aquam frigidam adhibebatur, ut *iudicaretur*, num immersus esset nocens, an innocens; ita ut ex his, quæ circa immersum contingebant in hac purgatione, resularet iudicium de nocentia, vel innocentia immerfi; quemadmodum & in purgatione per aquam calidam, & ferrum candens fiebat; unde & similiter dicebatur *iudicium aquæ calidæ*, & *iudicium ferri candentis.*

V. Itaque de crimine aliquo suspectus, vel de eo accusatus in aquam demergebatur: & si supernataret, nocens ac Van Espen *Jur. Eccl. P. III.*

Reus; contra si in immo delabatur, innocens iudicabatur. Unde Hincmarus in Opusculo *De Divortio Lotharii*: "Sed in aquæ frigidæ iudicio hoc constare videtur, quod innocui submergantur, aqua culpabiles supernatant." Et rictus dans rationem, cur immergendus sune ligaretur, ait: "Conligatur autem sune, qui examinandus in aqua demittitur... scilicet ne aut aliquam possit fraudem in iudicio facere, aut si aqua illum velut innocuum receperit, ne in aqua periclitetur, ad tempus valeat retrahi."

VI. Ritus hujus vulgaris probationis hoc ferè modo peragebatur: Primò homines mittendi ad comprobationem iudicii aqua, peracto prius trium dierum jejunio adhibebantur in Ecclesiam; ibique super eos in oratione prostratos Presbyter dicebat aliquas orationes, quibus Deum deprecabatur, ut veniam poscentibus indulgere dignaretur, & ab eis iram suæ indignationis avertere.

VII. His orationibus completis, surgebat Presbyter unà cum hominibus illis, & coram ipsis Missam canebat. Vocabatur autem *Missæ iudicii*, eratque specialiter in hunc finem composita.

VIII. Ipsæ orationes speciatim dirigebantur, ut per hanc probationem Deus manifestare veritatem dignaretur. Prima Collecta hæcerat: "Absolve quæsumus Domino nostrorum delicta famulorum, ut à peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxerunt, tuâ benignitate liberentur, & in hoc iudicio, prout meruerunt, tuâ justitiâ præveniente ad veritatis censuram pervenire mereantur."

In præfatione inter alia dicebatur: "Supplices exoramus, ut famulos tuos illos non de præteritis iudicis reatibus, sed hujus culpe veritatem spectantibus inlines; quatenus & in hoc populus tuus præconia nominis tui efferat, & te vitæ præsentis & perpetuæ auctorem agnoscat."

Benedictio ad iudicium continebat inter cætera: "Fac in conspectu populi tui, ut nullis malorum præstigiis veritatis tuæ fulcentur examina." Et in oratione post communionem: "Et in famulis tuis veritatis sententiam declare."

IX. Dum in Missâ perventum erat ad Communionem, antequam communicarent, interrogabat eos Sacerdos cum adjuratione, dicens: "Adjuro vos illum & illum per Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, & per veram Christianitatem, quam suscepistis, & per unigenitum Dei Filium, & per sanctam Trinitatem, & per sanctum Evangelium, & per istas sanctas reliquias, quæ in ista Ecclesia sunt, & per istud Baptismum, quo vos Sacerdos regeneravit, ut non præsumatis illo modo communicare neque accedere ad Altare, si hoc fecistis aut consensistis, aut scitis quis hoc egerit."

X. Si omnes tacerent, porrigebat singulis in aquam mittendis sacram Communionem, dicens: "Corpus hoc & Sanguis Domini nostri JESU CHRISTI sit tibi ad probationem."

XI. Missa expleta faciebat Sacerdos aquam benedictam, pergebatque ad locum, ubi homines probabantur, dabatque iis bibere de aqua; dicebatque singulis: *Hæc aqua fiat tibi ad probationem.*

XII. Post hæc fiebat conjuratio aquæ. Hæc conjuratio licet non eadem formâ ubique exprimeretur, tamen ubique ad idem tendebat; hocque unum à Deo petebatur, ut virtutem suæ benedictionis his aquis infundere, & novum ac mirabile signum in eis ostendere dignetur, ut innocentes à crimine furti vel adulterii, aut alterius navi, cujus examinationem agimus, more aquæ in se recipiant, & in profundum pertrahant; confisos autem hujus criminis à se repellant atque rejiciant, nec patiantur recipere corpus, quod ab onere bonitatis evacuatam ventus iniquitatis alleviavit, & inane constituit, sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriæ substantiæ in aquis.

Hæc licet non istis verbis, eodem nihilominus sensu in aliis adjurationis formulis exprimentur; eyincuntque, Uuuu 3 signum

